



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput III. De consuetudine, & legis dispensatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

R. Aff. Quia talis est omninò par incolis istius loci. Si tamen quis tenderet in Galliam animo fraudandi legem Concilii, non desunt, qui de valore istius Matrimonii dubitarent.

### C A P U T I I I.

#### *De consuetudine, & Legis dispensatione.*

##### §. 1. *Quid consuetudo?*

**A**lia est consuetudo secundùm legem, alia præter legem, alia contra legem. Consuetudo secundùm legem est, quæ legi est conformis; talis est consuetudo communicandi in Paschate. Alia præter Legem, quæ neque Legi conformis est, neque difformis; ut consuetudo indies cœnandi. Consuetudo contra legem est illa, quæ repugnat legi; ut consuetudo vesperi cœnandi in quadragesima opiparè, & lautè.

1. Quot modis potest abrogari Lex per contrariam consuetudinem?

R. Tribus: 1. Si legislator eam expressè approbet. 2. Viâ conniventia. 3. Viâ præscriptionis.

Abrogatur Lex viâ conniventia, quando legislator consuetudinem Legi contrariam sciens, & advertens tolerat.

Tollitur viâ præscriptionis, dum incio legislatore consuetudo invaluit Legi contraria, idque longo tempore.

2. Quantum temporis requiritur, ut consuetudo Legis obligationem tollat?

R. Ut

2. Ut Lex abrogetur viâ præscriptionis, requiruntur passim 10. anni, si agatur de *Lege civili*; si autem de *Ecclesiastica*, 40. anni: nam in præscriptione consuetudinis, communi omnium ferè sententiâ receptum est, requiri idem tempus, quod requiritur in præscriptione aliarum rerum.

3. An omnis consuetudo vim habeat abrogandi Legem?

2. Neg. Etenim illa consuetudo, cui legislator repugnat, nihil operatur.

4. Quid requiritur, ut consuetudo vim Legis obtineat?

2. Debet observari cum intentione introducendæ obligationis, & hoc dignosci potest, quòd populus scandalizetur, quando consuetudo non servatur, quando prævaricationes solent reprehendi &c.

5. Quæ consuetudo dicitur rationabilis?

2. Illa, quæ remotâ Lege, quam molitur evertere, nihil involvit, quod Legi Divinæ, aut naturali adversatur.

6. An consuetudo abrogandi legem malâ fide possit inchoari?

2. Aff. Quia plerumque fit, quòd subditi peccent, quando consuetudinem inchoant Legi contrariam. Ratio petitur ex voluntate legislatoris, qui rationabiliter velle potest, ut consuetudo valeat, licèt malâ fide inchoata.

## §. 2. De Dispensatione.

**D**ispensatio est, *juris alicujus relaxatio facta ab eo, qui legislativam habet potestatem.*

1. An dispensatio data sine justa causa in lege humana sit valida?

**R.** Aff. Si concedatur ab eo, qui legem tulit, vel ab ejus successore, qui parem cum illo habet potestatem: quia potest legislator sine causa validè tollere legem respectu totius communitatis, (licèt tollendo fortè peccaret) ergo etiam aliquem, vel aliquos in particulari ab obligatione legis eximere.

2. AN dispensatio impetrata per fraudem subsistat?

**R.** 1. Dispensatio fraudulenter impetrata ex allegatione falsi, quod principaliter impulit superiorem ad dispensandum, est nulla; quia dispensans solet subintelligere hanc clausulam: si preces veritate nitantur.

**R.** 2. Dispensatio fraudulenter accepta ex reticentia veri, quo allegato non fuisset concessa, nulla est: quia non est legislatoris intentio concedendi dispensationem, suppositâ veritate talis impedimenti.

**R.** 3. Rescripta Pontificum non valent, quando obreptio, vel subreptio est vitiosa, seu malitiosa, etiamsi fortè illis sepositis facta fuisset dispensatio. Constat ex capit. *super literis.* de rescripto.

Obreptio autem est, *allegatio falsi*: subreptio autem, reticentia veri pertinentis ad rem, pro qua petitur dispensatio.

3. An

3. An dispensatio continens errorem valeat?

R. 1. Valet, si error nihil faciat ad rem.

R. 2. Etiam valet, si error tantum sit accidentalis, ut si sit erratum in nomine personæ, vel diocesis, ad quam pertinet is, cui conceditur dispensatio.

R. 3. Non valet, si error sit substantialis, V. G. circa principalem causam dispensationis: quia tunc deficit causa, cui innititur voluntas dispensantis.

4. Quæres, an dispensatio matrimonialis super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis valeat, quando præviè habita est copula carnalis, & hæc non fuit expressa in libello supplici?

R. Juxta modernum stylum curiæ Romanæ hujusmodi dispensationes nullatenus valent in praxi, quia reticetur aliquid, ob quod fortè dispensatio non fuisset concessa.

5. An absolutio à Simonia valeat, si Canonicus &c. Simoniacus celet Pontifici, se dixisse antequam fieret Canonicus: *Factus Canonicus petam absolvi à Simonia.*

R. Non valet ob fraudem latentem.

6. Quæ sunt justæ causæ ad dispensandum?

R. Necessitas, utilitas, & pietas.

7. Quid dicendum de hoc casu: Joannes & Maria petierunt dispensationem in tertio gradu affinitatis, & Pontifex commisit Episcopo loci, ut suo nomine dispenseret, suppositâ precum veritate, at in rescripto Pontificis erratum est

per incuriam Amanuensis, in quantum loco tertii gradûs affinitatis, positus est tertius gradus consanguinitatis.

R. Episcopus potest dispensare, dummodo patres ostendant, se clarè, & distinctè petiisse à Pontifice pro dispensatione tertii gradûs affinitatis. Ratio est, quia est spectanda Pontificis intentio, vi cuius vult efficaciter dispensare super impedimento sibi proposito. Tractare hoc loco deberemus de Virtutibus Theologicis, sed lectorem remittimus ad Catechistas, qui de natura istarum virtutum, & de tempore, quo obligant earum exercitia, tractant sufficienter, nos quæ ad praxim pertinent, casibus perstringemus.

## C A S U S I.

*Quid agendum Confessario cum eo, qui dicit: Fui hereticus?*

Ante responsionem nota, hæresim, saltem occultam, in hisce Belgii partibus non esse casum soli Pontifici reservatum. Ita graves Authores, & Episcopi Belgici expressè sibi reservant casum hæresis, quod frustra facerent, si soli Pontifici sit reservatus: & licèt reservetur in Bulla Cœnæ Domini, videtur in his partibus locum non habere, cùm in hisce partibus casus iste frequenter incurratur; ac proinde quando Episcopus dat alicui potestatem absolvendi à casibus sibi reservatis, non excipit hæresim particulariter.

*Quid igitur tali Confessario agendum?*

R. 1. Inquirere debet, num formaliter hæreticus,

cus, & cum pertinacia defenderit, ac tenuerit errores contra fidem?

Ad pertinaciam illam requiritur voluntas resistendi doctrinæ, quam novit Ecclesiam Catholicam sibi sufficienter propositam proponere, ut fidei: unde qui ex ignorantia etiam crassa, & aliquando plurimum culpabili errat, non est pertinax, & consequenter nec formalis hæreticus, si sit taliter constitutus, ut velit omnia credere, quæ sibi tamquam à Deo revelata sufficienter proponuntur. Si deprehendatur formalis hæreticus, interrogandus est 1. In qua hæresi fuerit, V. G. Calviniana, Lutherana, vel cujus falsæ religionis fuerit sectator? Quia secundum veriorum sententiam in omnibus non est ejusdem speciei malitia, quatenus ritus diversi, qui in diversis hæresibus exercentur, specie differunt. Sic Calvinismus continet malitiam Sacrilegii in usu Eucharistiæ &c. Deinde in quibusdam hæresibus, ratione materiæ, quam negant, vel quam profitentur, conjuncta est particularis blasphemia V. G. contra Divinam naturam, vel personas.

2. Ut Confessarius melius cognoscat istius pœnitentis peccata, debet, cognita ipsius hæresi, petere, quanto tempore in illa hæresi fuerit; & tum

3. Inquirere debet minutim peccata, quæ isto tempore fecit. In illis autem discutiendis debet Confessarius adjuvare pœnitentem, interrogando de peccatis, quæ solent communiter hæretici committere, etsi pœnitens nec omnes species, nec numerum sciat exprimere, tunc sufficit, quòd

dicat: Numquam jejunavi, in dies comedi carnes, isto tempore, quo fui hæreticus, V. G. tribus, quatuor annis &c. quotiescumque occurrebat occasio; dicat, quoties in septima occurrerit, & an runc blasphemias eructaverit in S. Eucharistiam, Sanctos &c. an non detraxerit Ecclesiæ, & Pontifici? &c. Atque ex his Confessarius aliquo modo numerum peccatorum conijcere potest, & quamvis arithmetice non possit, sufficit, quod moraliter, quantum hinc & nunc fieri potest, id faciat. Et forsitan si valde accurate vellemus tales circa numerum peccatorum interrogare, fatigaremus poenitentem, & in causa essemus, quod suspicaretur, Confessionem esse onus grave valde, & importabile, & sic ipsum ab illo Sacramento averteremus. 4. Ipsi ante oculos ponenda misericordia, & bonitas Dei, ipsum (non obstantibus per apostasiam gravissimis ipsius offensis) reducentis ad viam veram salutis, & Ecclesiæ, ac fidei gremium, extra quod nullus salutem consequi potest.

Si advertat, poenitentem tantum fuisse materialiter hæreticum, quales sunt multi simpliciores, & rudiores in Hollandia & Zelandia, maxime in pagis, talem potest quivis Confessarius absolvere, licet non habeat potestatem absolvendi à Casibus reservatis, cum solummodo hæresis formalis reservetur, non materialis. Imò quandoque contingit, sed rarò his temporibus, tales inculpabiliter ignorare fidem defectu debitæ instructionis, quam habere, vel accipere non est fortè in manu ipsorum, & tunc de ipsa  
igno



ignorantia, utpote involuntaria, nec de ejus effectibus, eandem rationem habentibus, se accusare non debent, licet in his partibus rariùs prætendi possit ignorantia planè invincibilis.

Confessarius autem non debet ipsos statim absolvere; quia ut quis possit absolvi, non sufficit tantùm, quòd non sit hæreticus formalis, sed requiritur etiam, ut sit Catholicus formalis. Unde priùs eos debet instruere in fide Catholica, & proponere motivum fidei, tum absolvat eum ab excommunicatione reservata, & conversus faciat Fidei professionem.

Sed quæri posset, quomodo justè Deus talem hominem damnaret, si ita moreretur hæreticus materialis, eùm impossibile sit, sine fide placere Deo, & ad filiorum Dei consortium pervenire?

R. Deus talem hominem non damnaret ob infidelitatem negativam, quæ peccatum non est, sed vel cœlitùs illuminaret, vel in via S. Thomæ Evangelicæ veritatis præconem destinaret, quemadmodum ad Cornelium Centurionem, vel permetteret, si antecedenter lapsus non fuisset, ut propriâ voluntate impingeret in præceptum contra jus naturæ, ob quod justè à justo Deo posset damnari. Cæterùm qui fide non sunt illuminati, non solent à peccatis, contra jus naturæ commissis, esse liberi.

## CASUS II.

*Quid aget Confessarius cum muliere Catholica, qua dicit, se verberibus, & minis cogi à suo marito hæretico, ad frequentandas conciones hæreticas, ad*

*omnedendas carnes diebus prohibitis, ad sacramentum  
omittendum Dominicis diebus, & Festis?*

Petendum, ex quo fine, ex qua intentione hoc faciat maritus? Si dicat, maritum hoc facere ex despectu, & contemptu Ecclesiæ, ejusque legum, & ad ipsam pervertendam à fide Catholica ad non Catholicam, nullo modo in illis obedire potest marito, & potius debet ferre verbera, imò & mortem, quàm cooperari pessimæ intentioni mariti. Consolanda proinde pœnitens, ut propter Deum illa patienter ferat exemplo martyrum, qui tot, ac talia pro fide passi sunt, & si separari possit sine scandalo, & prolium detrimento, inducenda est, ut relinquat maritum suum ad evitandum periculum subversionis, & ad liberiùs Deo serviendum, & observandum Leges Ecclesiæ. Hinc cum Rex Angliæ præcepisset suis subditis sub gravi pœna interesse concioni hæreticorum, consultus hac de re Paulus V. respondit, quòd non obstante multa interesse Catholicis non liceat sine detrimento Divini cultus, & ipsorum salutis.

Sed quid si maritus hoc non faciat ex fine jam dicto, sed tantùm ipsam cogat, ut vadat ad templum hæreticorum cum marito, ne aliàs solus debeat ire, vel ex quadam zelotypia, ne ipso sc. absente alii mulierem accedant?

In isto casu aliquoties maritum comitari potest ad templum hæreticorum, secluso scandalo, & perversionis periculo; sedeat tamen in loco, ubi concionatorem non intelligit, vel si intelligat,

voluntariè distrahatur; si autem lateat aliquod periculum, nullo modo se marito associet.

Si maritus cogat uxorem ad comedendas carnes diebus prohibitis, vel quia maritus alios cibos suppeditare non potest, vel quia videt uxori magis prodesse carnes, quàm alios cibos, tunc potest comedere carnes; quia Ecclesia non vult obligare suos subditos ad observationem legum suarum cum tanto ipsorum incommodo.

## CASUS III.

*Titius interrogatus à Tyranno de sua fide, non audet apertè Christum profiteri, aut etiam negare, verbis utitur ambiguis: Queritur, an licitè?*

R. Non satis est, inquit Amb. l. 1. in c. 22. Lucæ, involuta responsio confitentis *Œsum*, sed aperta confessio: quid prodest verba involvere, si videri vis denegasse? Et ratio est, quia hoc est Christum erubescere illo tempore, quo urget præceptum confitendi.

## CASUS IV.

S. Cyprianus epist. 21. & 25. scribit, fuisse quosdam libellaticos dictos, qui Christum publicè negare erubescerent, privatim id per se, vel per alium suo nomine faciebant, & pretio dato impetrabant à Magistratu libellos securitatis, nè ulterius in eos fieret inquisitio, & cogerentur fidem exterius negare. Queritur, an egerint contra fidem?

R. Aff. Et nihil certius: nam præceptum, vî cuius tenemur, non erubescere Christum, est negativum, & consequenter in quolibet casu obligat. Et certè sive quis publicè, sive privatim,  
sive

sive per se, sive per alium fidem abneget, equidem eam negat, & infert Christo injuriam.

## C A S U S V.

*Petrus Catholicus, & Sacerdos in consortio quorundam hereticorum interrogatus, an sit presbyter, deinde an sit Papista, negat utrumque; queritur, an egerit contra fidem?*

R. Ad primum, negare se Presbyterum, non est agere contra fidem: potest enim quis esse Catholicus, & non Presbyter: proinde licet se negando Presbyterum mentitus fuerit, non debet tamen censerī abjurator fidei. Idem dicendum de eo, qui negat se Religiosum, ubi tamen est.

Ad 2. Resp. id pendere ex circumstantiis; vel enim per Papistam intelligitur Sacerdos, & hoc negando non agit contra fidem, vel, ut passim solet, intelligitur Catholicus, & certè hoc negando contra fidem agit: qui enim se negat Christianum, negat Christum, ut benè advertit S. Aug. tract. 113. in Joan. dicens: *In ipsa negatione Petri debemus advertere non solum ab eo negari Christum, qui dicit eum non esse Christum, sed etiam ab illo, qui cum sit, negat se esse Christianum. Dominus enim non ait Petro, discipulum meum te negabis, sed me negabis; negavit ergo eum, cum se negavit ejus discipulum.*

## C A S U S VI.

*Antonius in Hollandia degens inter hereticos, cum illis interdum erat in eorum Templis, interest ex curiositate Coenae Calvinisticae, ipsorum saepe audit conciones; queritur, an haec illi sint licita?*

Ad

Ad 1. *q.* Illud ex se non videri illicitum: ex circumstantiis tamen posse esse malum, ut si adsint infirmiores, qui scandalizentur, vel si modus orandi sit talis, ut meritò queat à circumstantibus judicari, quòd communicet cum hæretico in secta, ut facilè contingere potest.

2. Etiam ex se apparet licitum, sed accessu circumstantiarum potest fieri illicitum, ut si ipse non simpliciter intersit cœnæ, sed etiam participet ex ea, quia hoc foret communicare cum Calvinistis in ritu erroneo, quo fit hæresis protestatio.

3. Non est licitum, præsertim cùm sit periculum scandali, aut subversionis: ut si Antonius sit rudis, aut infirmus in fide: licet tamen ob finem politicum, ut si famulus V.G. honoris gratiâ comitetur suum Dominum ad concionem ministris, quia tunc nullus est in doctrinam hæreticam consensus, sed tamen avertendum est scandalum.

Licet etiam, quando sit animo irridendi, aut confutandi doctrinam concionatoris hæretici: imò non apparet, cur non liceat interesse ex curiositate, quando non est periculum subversionis, V.G. si aliquis sit valde firmatus in fide Catholica; saltem qui sic interesset, non videretur peccare, nisi peccato vanæ curiositatis.

## CASUS VII.

*Petrus in Hollandia matrimonium contraxit coram ministro hæretico: Queritur, an licitè?*

*q.* Contraxisse illicitè, si minister matrimonio benedixerit, quia sic approbatus fuisset, tamquam legi-

legitimus minister : si autem non benedixerit, & matrimonium coram illo initum fuerit per modum contractûs civilis, ita ut minister solùm adhibitus fuerit tamquam testis, non video, cur id censeatur esse contra fidem.

## C A S U S V I I I.

*Joannes Catholicus Henrici amici sui filium de fonte suscepit, dum inter hæreticos hæretico more baptizaretur : An licitè ?*

R. Id non apparere illicitum, quia Baptismus supponitur validus, & consulitur honori ipsius Sacramenti, eò quòd patrinus suscipiat onus instruendi baptizatum in fide. Cavendum tamen est, ne fiant aliquæ ceremoniæ, per quas patrinus censeatur suo, aut baptizati nomine consentire in errorem hæreticorum, & ne Baptismus conferatur invalidè.

## C A S U S I X.

*Petrus iter faciens per terras hæreticorum die Veneris cum illis vescitur carnibus ; queritur, an non peccaverit, & contra fidem egerit ?*

R. Petro ob levem causam, qualis est V. G. irrisio, id non licuit: præsertim quia ob levem causam non relaxatur vinculum legis Ecclesiasticæ, & ille, qui propter irrisiones, & convitia, quæ faciunt hæretici in odium fidei, comedit carnes, censeatur Christum erubescere, ejus fidem, & Ecclesiam.

Nullò modo etiam id licuit, si propter circumstantias abstinentia à carnibus soleat accipi ab hæreticis tamquam confessio fidei Catholicæ,

&

& comestio eorum velut alterius fidei confessio, licet aliàs ei moriendum esset: quia hoc foret tacite negare fidem, & sectam profiteri alienam. His autem seclusis ex gravi causa, ad evadendam V. G. mortem, licuit illi vesci carnibus: quia in aliis casibus, dum lex Ecclesiastica non potest observari, citra grave incommodum, ut sit in gravi necessitate, censetur Ecclesia relaxare vinculum suæ legis, & ita verificatur, quod dicitur: *Ecclesia est benigna mater.*

## CASUS X.

*Pamphilus in terris infidelium fame pressus invenit cibum idolo positum, illumque comedit, ne famem levet; quaritur, an licite?*

R. Certum est, non licere, quando refertur ad cultum idoli, vel quando adstantes possunt merito judicare, id referri ad cultum idoli, aut dum subest periculum scandali, dicente Apost. 1 ad Cor. 8. de idolotitis: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* Cæterum si hæc absint, non videtur illicitum, si cibum illum merè ad pellendam famem sumpserit: *Esca enim nos non commendat Deo, neque enim si manducaverimus, abundabimus, neque si non manducaverimus, deficiemus: videte autem, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.*

Quidquid Apost. vel S. S. P. P. videntur in contrarium dicere, intelligendi sunt de ista sumptione, quæ fit cum scandalo &c.

CA-

## CASUS XI.

*Quid agat Confessarius cum pœnitente, qui ob multitudinem, vel suorum peccatorum enormitatem desperat?*

R. Cùm hoc peccatum sit valde grave, & periculosum, debet ante omnia Confessarius omni possibili modo conari talem ad veram spem in misericordem Deum, & veram de peccatis pœnitentiam inducere, proponendo 1. motivum spei, sc. summam Dei misericordiam, quæ est super omnia opera ejus, ex qua pro homine peccatore factus est homo, & lytro pretiosissimi sui sanguinis hominem ex diaboli servitute redemit, &c. 2. Proponatur ei ob oculos, quòd cum peccatoribus in terra degens non venerit vocare justos, sed peccatores: *Non est opus valentibus medicus, sed agrotis*, quæ misericordia tanta est, ut numquam vel gravissimo peccatori se debite ad Deum convertenti in hac vita denegetur, quocumque instanti se ad Deum convertat, juxta illud æternæ veritatis effatum: *In qua hora ingemuerit peccator, iniquitatem ejus non recordabor.* Adducat Magdalenam, Zachæum, Matthæum, Paulum, Augustinum, &c. & præcipuè Latronem cum Christo crucifixum in ultimo ferè instanti vitæ, ad unicum quasi ejus gemitum in gratiam receptum.

Si autem obduratum desperantis cor Dei misericordiâ non flectatur, ad aliud extremum terroris, & metûs gehennæ sese Confessarius convertere debet, ut vel illo ipsum quasi cogat ad  
Deum



Deum confugere. Hinc vivaciter ob oculos cordis ponatur æternitas, atrocitas, intolerabilitas illius pœnæ ignis, quæ ipsi certo certius eveniet, nisi cum vera pœnitentia ad Deum se convertat; & si nec his verbis moveatur, potest Confessarius in articulo mortis, in quo omnia extrema sunt tentanda, ipso facto experimentum ipsi dare, capiendõ titionem ardentem, & illum vel ante oculos objiciendo, vel etiam ipsius calore, vel leviter tangendo carnem, ut sic ex dolore istius modicæ ustionis colligat dolorem æternæ, infinitæ, & intolerabilis combustionis ignis æterni.

Quando Confessarius illo, vel alio modo, prout ipsi videbitur magis utile, desperantem, Dei gratiã, ad pœnitentiam adduxit, præviè debet conari, ut pœnitens verum de peccatis suis dolorem concipiat, & etiam formalem actum spei, his, aut similibus verbis: *Misericors, & benignissime Deus, vera bonitas, & summum bonum meum, spero in te, & per merita dilectissimi Filii tui pro me scelestissimo peccatore crucifixi, desidero, & firmissimè exspecto remissionem peccatorum meorum &c.* Tunc Confessarius eum ad apertam suorum peccatorum confessionem debet adhortari, & ab illo specialiter petendum

1. Quoties habuerit efficacem beatitudinis obtinendæ nolitionem? 2. An desperaverit ideo, quia media ad salutem necessaria sunt difficilia, eò quòd excludant voluptates carnis, & mundi, quas appetit? An verò quia judicavit, salutem sibi factam fuisse impossibilem, eò quòd sibi per-

suaserit, Deum nolle, aut non posse peccata à se commissa remittere, ejusque misericordiam talem esse, quæ tot, & tam gravia toties iterata peccata condonare non velit, aut non possit?

Si ob primum desperaverit, petendum, an non voluerit cælo carere, & bonis, ac delectationibus terrenis perfrui? &c. Hoc enim peccatum valde grave est contra virtutem Spei, Caritatem sui ipsius, & includens contemptum Dei, & beatitudinis. Si ob secundum; inculcet Dei erga nos misericordiam, quâ vult peccata remittere, ejus omnipotentiam, quâ potest. 3. Interrogandus, à quo tempore habuerit talem desperationem, & an totaliter omiserit omnia media ad salutem necessaria, & quæ in particulari? An V. G. singulis annis semel fuerit confessus sua peccata? An communicaverit in Paschate? An diebus Dominicis & Festis audierit sacrum? &c. An diebus ab Ecclesia statutis jejunaverit? An numquam elicuerit actus fidei, spei, & caritatis? 4. An aliquando formaliter & expressè vilipenderit & contempserit media ad salutem necessaria, vel ipsum Deum & beatitudinem?

